



**R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

3. An pro Cathecumenis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

fructum impetrationis tantum esse, ut superet omnem utilitatem pecunie: & ex alia, infidelem, vel peccatorem offerentem elemosinam, velle interpretative, illud quod velle rationabiliter potest. Cum igitur possit, solum participare de fructu Impetrationis; hanc solum, & nihil præterea, velle præsumendus est.

§. III. An, & quatenus Missa offerri possit pro Cathecumeno.

**V**alde differt, à præcedenti, præfens quæstio: nam hic supponimus Cathecumenum esse ex vi conditionis in gratia, & solum ei deesse Baptismum, per quem tanquam per ianuam visibilis Ecclesiæ in illam ingrediuntur Fideles: at infideles semper supponuntur sine gratia, & Dei inimici. Quæritur ergo, an Sacerdos possit stipem accipere à Cathecumeno, illique Missam fructum applicare?

1. Dicimus posse utrumque, si enim potest pro Infideli, multo magis pro Cathecumeno; cui saltem prodest Missa quoad impetrationem sicuti prodest Infideli, modo dictum est. Doctrinæ tamen, & curiositatis gratia, modo dictam impetrationem, tum de satisfactionis fructu, ex opere operato addo sequentia.

2. Quoad satisfactionem. Quamvis non desint qui concedant Cathecumeno existenti in gratia prodesse effectum satisfactionis, ex opere operato, si pro ipso offeratur Missa, unde si sit in Purgatorio iuvati per Missam possit, sicuti ceteri baptizati: ita Lexan. v. Missa, n. 7. alique apud Lud. à Cruce in exp. Bull. Crac. disp. 2. c. 8. n. 18. vide etiam Fagund. lib. 3. de primo præcept. Eccl. c. 12. num. 29. & 30. Communior tamen opinio negat. Ita Sot. de Sacram. disp. 79. sect. 10. §. Primo igitur. March. de ord. tract. 3. p. 2. c. 7. num. 3. alique ab ipsis citati. Ratio rationis illa afferunt, quia Ecclesia per suos Ministros non potest applicare fructum satisfactionis Missæ, nisi illis, qui sunt de membris suis, hoc est, de Ecclesiæ visibilis, in quam sit ingressus per Baptismum, quales nondum sunt Cathecumeni. Probabiliter quidem, sed ego libens sequor opinionem affirmantem, & huic rationi respondeo, Cathecumenos non esse omnino extra Ecclesiam visibilem, sed aliquo tandem modo ad illam pertinere, siquidem propter fidem, quam iam animo conceperunt, & iam externè professi sunt; inchoativè sunt de visibili Ecclesia, Exemplum dare soleo de Novitiis aliorum Religionis: ij enim verè Religiosi, nequam sunt, pertinent tamen ad Religionem, suntque imitativè eius Religionis, cuius habitum susceperunt. Unde, sicuti iidem participant de Religionis susceptæ privilegiis, ita putandum est, Christum Dominum nonnullis excludere de suæ Passionis satisfactione, fructuque Sacrificij eos, qui aspirant ad Baptismum, atque externa etiam petitione deprecant.

3. Quoad impetrationem. Facilius certe conceditur, quoad ipsam ex opere operato, prodest Cathecumeno, tum propter rationem insinuatam, quod Cathecumenus imitativè pertinet ad Ecclesiam visibilem; tum universaliter, comprehendendo etiam Infideles: quia hoc Sacrificium, ut est impetrativum, utrique ex opere operato, potest Deo offerri ex Trident. sess. 22. can. 3. pro quacunque re obtinenda, etiam temporalis, ut pro pluvia pecoribus, aliisque necessitatibus, Mirum autem esse (ut hic Delugo de Euchar. disput. 227. c. 2. §. 3. negantem, sed com Suario de Sacram. d. 78. sect. 2. §. Dico tervò, & d. 79. sect. 10. §. Primo igitur: concedente) quod Missa possit offerri ad impetrandam sanitatem bovi, non autem ad salutem amico Infideli. Nec deest ratio, qua simul dissolvuntur argumenta contraria, nam impetrativum non respicit immediatè personam, cui confertur beneficium, sed personam, quæ postulat, unde qui petit sanitatem bovis non dicitur offerre pro bove, sed pro se, ut impetret sibi immediatè illud beneficium sanitatis bovis; Ita ergo etiam dato, Missa immediatè pro non baptizato offerri nequeat; poterit, pro se ipso Sacerdos

Part. II.

offerri, qui tanquam proprium beneficium, impetret salutem non baptizato.

§. Sed hæc Scholastici tractant; illud collige, possit sine scrupulo à Sacerdote applicari Cathecumeno Missam, quæ iam proderit, quoad fructum impetrationis certò, probabiliter verò, quoad fructum satisfactionis.

§. IV. An Offerri Missa possit pro Excommunicatis.

**E**xcommunicati alij sunt tolerati, seu quod idem est non vitandi, alij non tolerati, seu, quod idem est, vitandi. Et quidem publicè denunciati nominatim, & publici percussores Clericorum sunt vitandi: ceteri omnes non vitandi.

2. Præterea, Sacerdos (ut rectè distinguit, cum alijs Coninch. disp. 14. de excom. dub. 6. n. 36.) triplicem personam repræsentat. Primò immediatè ipsius Christi, cuius tanquam principalis offerentis, sacrificium, eiusque fructum ex opere operato, alicui applicat. Secundo, ipsius Ecclesiæ, tanquam cuius legatus, sacra officia, & sacrificia celebrat: & in his duobus agit Sacerdos personam publicam. Tertiò repræsentat suammet personam, & sic agit personam omnino privatam: sicut enim possunt hoc Sacrificium offerre Deo circumstantes, vel dantes stipem; ut privata personæ, sic poterit & ipse Sacerdos. His politis.

De Sacerdote ut privata persona pro Toleratis, & non Toleratis.

3. Dico primò. Sacerdos, ut privata persona, potest applicare, seu offerre Missam, pro Excommunicatis, sive Toleratis: Ita Coninch. ibid. num. 37. quidquid dicat Faber, & Latomus apud Dianam part. 5. tract. 9. ref. 77. Ratio est, quia Ecclesia excommunicatos privat solum communibus, hoc est, publicis suffragiis, atque adeo solum Sacrificio, ut offeratur in persona Christi, vel Ecclesiæ.

4. Hinc infero etiam posse Sacerdotem in Sacrificio orare pro dictis; dummodo id faciat privatim, seu solammente, & non per orationes, quæ nomine Ecclesiæ dicuntur. Ita Coninch. ibid. & Delugo disp. de Euchar. 19. sect. 10. num. 184. Ut item possit in Memento, orare pro iisdem. Ita idem, & Gordonus, & Cornejo apud Dianam part. 5. tom. 9. ref. 77. quia, ut dictum est, hoc modo Sacerdos agere potest nomine privato, non vero Christi, & Ecclesiæ. Immo propter easdem rationes, dum dicit orationes publicas, v.g. orationem pro infirmis, potest animo suo privato intelligere infirmum excommunicatum, etiam non toleratum.

De Sacerdote, ut persona publica, quoad non toleratos.

5. Dico secundo. Non posse Sacerdotem, ut publicam personam, hoc est, nomine Christi, vel Ecclesiæ applicare Sacrificium pro excommunicatis vitandis, vel ut sic pro illis orare. Ita Coninch. ibid. Ratio est, quia Ecclesia id directè prohibet, dum per excommunicationem illos privat communibus suffragiis, nec unquam ita temperavit, sicuti temperasse, mox dicemus, pro toleratis.

6. Sed, quid, si quis non toleratus sit contritus, perque ipsum non sit ut absolvetur, censendumne est, cum, qui est Dei amicus, & per Chritatem ipsi Ecclesiæ unitus, tan graviter puniri? Non ita propter hanc rationem, putant Navarrus, Covarruvias, alique ovis sequuntur, & citant Fagundez 1. Eccl. præcept. lib. 3. c. 12. a. n. 6. & Marchinus de ord. tract. 3. p. cap. 10. num. 6. Sed contrarium docent Sotus, Coninch. & Hurtadus d. 4. de excom. diff. 5. qui citat eisdem, quia adhuc est excommunicatus, eumque sic, ad terrorem aliorum,

L 3

punire